DE

PAEDATROPHIA

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE IV. M. IUNII A. MDCCCXXIV
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

GERHARDUS SCHEUTEN
BORUSSO-RHENANUS

OPPONENTIBUS:

NOELLE, MED. DR.
DOERING, MED. DD.
HOOGEN, MED. CAND.

BEROLINI,
TYPIS IOANNIS FRIDERICI STARCKII.

Praefamen.

Viros interdum praestantissimos, summaque eruditionis laude conspicuos, vilioris pretii opera in lucem edidisse, omnium saeculorum historia satis comprobat. Quanto magis juvenem, nulla ornatum experientia, excusatione dignum haberi oportet, qui, ut sanctis majorum legibus satisfaciat, rei cuidam, neque novae, neque eximiae, operam navare, specimenque inaugurale de ea conscribere non dubitat. Atrophiae, de quibus opusculum istud exponit, nunquam non frequentissimis hominum affectionibus adnumerabantur; nihilosecius quaedam adhuc exstant, vel adjicienda, vel mutanda, vel etiam accuratius coordinanda. Me omnibus satisfecisse desideriis, quibus proprie satisfaciendum erat, tantum abest, ut

credam, ut varia me immiscuisse quae aliena et supervacua sunt, lubenter confitear. Quod vero juvenile ingenium probabilia semper ab improbabilibus, necessaria a vilibus rite distinguere valeat! Virorum est, dirimere, diremtaque disseminare, juvenum vero, colligere et colleeta memoriae demandare. Haec reputetis L L. bb. indulgentiamque in me conferatis. Valete!

Introductio.

Artis salutaris professores ad corporis totius marcorem significandum usi sunt vocabulis Atrophiae ac Tabis, quod ex sequentibus sat liquet.

Galenus [1]): Atrophiam ait, vitium esse, quo nutritio corporis inperfecta reddatur.

Celsus [2]): diutius et periculosius saepe Tabem eos male habere, quos invasit, atque hujus quoque plures esse species asserit, ut: Atrophiam, Kachexiam et Phthisin.

Sylvius Tabem vocat decrementum adipis et carnis, solius adipis decrementum vero Atrophiam.

Teste *Sauvages* [3]) Hectica et Tabes haud discrepans, nisi quod Atrophia tabescentia sit infantum.

Makbride [4]) unamquamque consumptionem

---

1) meth. med. L. II. cap. VII.

2) de Medicina L. III. cap. XXII.

3) Nosologia Tom. III.

4) *Einleitung in die theoretische Arzneiwissenschaft ins Deutsche übersetzt.*

corporis Tabem nominat; Atrophia (quam decrementum corporis sine febre dicit) Phthisique pulmonali exceptis.

Morton [1]): Atrophiam esse consumptionem universalem a toto corporis habitu, non ab alicujus visceris defectu morbido ortam et febre vacuam, contendit.

Sagar [2]) Atrophiam nuncupat maciem sine febre et tussi.

Vogel Atrophiam appellat maciem totius corporis, sine ulla febre lenta ortam.

Sachtleben [3]) Atrophiam nonnisi infantum esse speciemque Tabis exhibere tradit, ad quam omnes morbi tabifici, in quibus motus febriles, si qui adsunt, non causa sed effectus consumptionis sunt, pertineant, alias ejus species Tabem nervosam, Tabem dorsalem et Marasmum senilem sistere.

Plurima nominum, quibus morbi insigniuntur, a symptomate quodam eminente tam antiquioris quam nuperioris aevi scriptores desumserunt, ob caliginem, qua plerarumque affectionum intima causa obfuscatur, quod quamvis non ex toto culpandum videtur, multo tamen exoptatius foret, singulos morbos singularibus aptisque designari nominibus, quo facilius unus ab altero distinguatur.

---

1) Phthisiologia.

2) Syst. morb. sympt.

3) *Versuch einer* medicina clinica.

Atrophiam cum Tabe confundi, e recensitis scriptis intelligitur; diversitas autem magna inter utramque exstat, nam Tabem ex viscerum digestioni dicatorum functione morbosa oriri, non necesse est, ut vero in Atrophia labes protopathica viscerum, quae nutrimenta ingesta subigunt, deprehenditur.

Per Atrophiam igitur eam conditionem intellectam velim, quae manca nutritione, nec non consumptione corporis viriumque se expromit, cujusque supremus finis febre hectica stipatur.

Denominatio morbi petitur ab α privativo et τροφὴ (esca) sine nutrimento. Hanc autem nutritionis labem per longum tempus protrahi, macieque totius corporis manifesta et magna cum debilitate conjungi necesse est, nam si nutritio, i. d. assimilatio nutrimentorum idonea, deest, tam corporis moles quam vires attenuentur oportet.

Atrophia singularum partium huc non pertinet, quippe quae denominatio Tabi magis congruere videtur.

In hac dissertatiuncula inaugurali pauca quaedam de Atrophia, quae dicitur infantum conscribere, ejusque species paulo fusius exponere studebo, quamobrem statim ad eam depingendam progrediar.

De Paedatrophia in specie.

Definitio morbi.

Paedatrophia, s. Atrophia infantum, perperam quoque Atrophia infantilis dicta, ea est, quae infantes ab anno primo ad quintum imperfectae nutritionis causa adoritur, sive nutrimenta sint dyspeptica, sive vitia organorum digestionis et assimilationis manifesta exstent, quaeque ex macie, consumptione totius corporis, abdomine tumefacto, quibus febris hectica mox supervenit cognoscitur.

Symptomatologia.

Illatis injuriis, in Aetiologia recensendis, infans dolores colicos invicem redeuntes conqueritur, excretiones alvi pervertuntur, modo alvus adstricta et faeces durae, ex albo cinereae, modo dejectio materiae mucosae, viscidae aut pultaceae et grumosae, coloris flavi aut subviridis animadvertitur; haud raro vomitus facile excitatur; appetitus ciborum abnormis raro diminutus, persaepe adauctus, interdum desiderium nutrimentorum dyspepticorum, ut farinae, panis acidi cibarii, fructuum solani tuberosi, siliquarum, fastidium carnis et jusculi carnium; sitis aucta et cupiditas, aquam vel cerevisiam recentem haud satis fermentatam hauriendi; urina turbida aut liquida et alba; tumescentia ventris; inquies ac moestitia oboriuntur.

Stadium secundum seu atrophicum initium capit a macie totius corporis, praecipue artuum inferiorum, cutis jam flaccida, facies livida apparet, vires sensim sensimque exhauriuntur, aegre ambulant infantuli, gestari cupiunt, plerumque in lectulo cruribus abdomini admotis recumbunt, venter in dies tumet, ab initio mollis, dein durus est tactusque dolet, non raro glandulae meseraicae tumefactae inveniuntur; comedones undequaque, maxime circa medullam spinalem observantur, praesertim balneis administratis, quae laxitatem et debilitatem organi cutanei testantur. Hoc in stadio infantes jam acidis laborant, quod variorum excretorum odore acido confirmatur, excretiones alvinae, urina, sudores saepe sunt acidi. Crescente macie ac debilitate, febris lenta supervenit quae tam leviter irreptat, ut prima ejus initia vix animadvertantur; temperiei vicissitudo nunc manifestior evadit, aestus intercurrens plerumque post prandium, nec minus post coenam in volis manuum, plantis pedum atque genis, circumscripto rubore notatis, sentitur, exhalatio cutis nondum adaucta, cutis sicca, sitis intensior, urina parca, respiratio difficilis, pulsus frequens duriusculus et plenus est interdum inaequalis, somnus parum recreat.

Si febris lenta indolem suam luculentius expromit, si exacerbationes ab horripilationibus ordiuntur, quae postremo rursus evanescunt, hectica vocatur. Exacerbationes dein terminantur sudo-

ribus, praesertim circa caput, collum et pectus, scaturientibus, qui vires celerrime adeo exhauriunt, ut aegroti lectulum derelinquere nequeant. Excretiones modo sensim sensimque mutantur, novissime autem urina saepenumero cuticulam versicolorem offert, circa parietes matulae orbiculus adiposus conspicitur, interdum quoque ad superficiem punctula adiposa apparent, haud raro odor violarum lotio inest; functiones sensuum externorum et internorum haud prius quam sub finem vitae deturbantur. Paulatim exacerbationes, quae interdum typum tritaeophyam portendunt, tam gradu quam diuturnitate augescunt, remissiones minus sunt manifestae, exacerbationes modo pulsu frequentiori, duro plenoque distinguuntur, febris continua remittens evadit. Sudores nocturno nec non matutino tempore multum augentur, aegri lassitudinem et dedolationem summam queruntur, moestiores tristioresque redduntur et inertia omnium motuum voluntariorum animadvertitur. Hoc in stadio saepe varia helminthiasis symptomata sese produnt, nec raro per alvum vermes ejiciuntur.

In stadio colliquativo omnia haec symptomata increscunt, in remissionibus facies pallida est et lurida, consumptio corporis adaugetur, macies summa incidit, adeps, turgor vitalis, immo caro muscularis evanescere videntur, cutis laxa, flaccida, rugosa evadit, ossa eum in modum promi-

nent ut nonnisi cute obtecta videantur, oculi in orbitas relapsi, iis senum pumilionum aequant. Diarrhoea colliquativa invicem cum sudoribus colliquativis apparet; pedes, manus, faciesque tumescunt, lingua pura, humida, quasi rosacea, raro impura, sicca, muco oblimata reperitur, interdum aphthae in oris cavitate atque in toto tubo intestinali nascuntur, quae incommoda maxima afferunt. Inanitio virium summa, vox debilis, rauca, tussicula sicca, oblivio, amentia, delirium accedunt; interdum febris inter haec symptomata paululum remittere videtur, pulsus minus frequens, alternis diebus praesertim autem ante mortem frequentissimus, parvus, debilis, celerrimus, inaequalis, intermittens, quo vires penitus exhauriuntur et mors inducitur.

Si Paedatrophia non alio morbo, ut Scrophulosi aut Rhachitide est complicata, raro symptomata alia adveniunt, interdum autem sub exitium accidit, ut aliae glandulae lymphaticae tumescant, ut glandulae cervicales, axillares aut inguinales, nunquam autem eam duritiem acquirunt, quam in morbo scrophuloso, et quasi per consensum, ex affectione symptomatica totius systematis lymphatici vitiantur.

Persaepe tamen Atrophia infantum non simplex sed morbo scrophuloso aut rhachitico complicata reperitur.

Paedatrophia scrophulosa praecipue manifes-

tatur diathesi scrophulosa, cui innititur habitus peculiaris, quem scrophulosum dicunt. Habitus iste cute tenera, alba, pellucida, praecipue faciei expromitur, malae colorem rosaceum habent, interdum facies tumida malis demissis, oculi caerulei, vegeti, plerumque prominentes, pupilla dilatata, palpebrae, praesertim superiores et tarsus crassiores, cilia solito longiora, nasus crassior, pars ejus inferior saepe quibusdam temporibus nitida, labia crassa, rubore vegeto insignia, caput magnum, praesertim occiput, frons parva, angusta, tempora quasi impressa, maxillae latae, capilli flavi, collum breve et crassum; glandulae cervicales, tonsillae, glandulae submaxillares plerumque tumefactae; abdomen utplurimum inflatum, totum corpus laxum deprehenditur. Cupiditas ciborum, praesertim rerum fermentatarum, ut panis, nutrimentorum farinosorum nascitur, caro fastiditur; lingua interdum muco oblimatur. Urina pallida, reactionem ad acida praestat; alvus iners, adstricta, dura, coloris subalbi, per vices diarrhoea incidit. Varia desuper symptomata morbum manifestiorem reddunt, ut ophthalmia, blepharoblennorrhoea, otorrhoea etc.

Si malum scrophulosum procedit, et glandulae meseraicae Scrophulosi interna afficiuntur, postremo Atrophia ex manca nutritione oboritur, quoniam organa digestionis debilitata, glandulaeque mesentericae degeneratae functionibus suis non rite praeesse possunt.

Diagnosis Paedatrophiae scrophulosae non difficilis est, etenim symptomatibus Atrophiae simplicis pleraque supra enumeratorum Scrophulosis signorum àdjunguntur, abdomen magis expanditur ac durescit, haud raro duritiem lapideam praecipue circa umbilicum acquirit, glandulae meseraicae crassiores durioresque observantur.

Rhachitica infantum Atrophia, praeter criteria, simplici Atrophiae propria, sequentia quoque profert: dentitionis praesertim tempore aggreditur pusillos; laxitas atque debilitas partium solidarum, et fluidarum a norma aberratio; cutis laxa, flaccida, musculi molliores, gressus difficilis; caput justo majus, fonticuli patentes, suturae cranii dehiscentes, capilli rari, tenues, flavi inveniuntur, caput ad alterutrum latus inclinatur, neque erectum ab infante sustinetur; dentitio tarda est ac difficilis, dentes ipsi vitiati, saepe subnigri, cariosi. Tum ossa corripiuntur, apophyses intumescunt, diaphyses tenuiores redduntur, praesertim artuum inferiorum. Venter tumet, prae ceteris regio epigastrica, dum reliquum corpus macrescit; facies rugosa, venae jugulares tumidae, appetitus ciborum adauctus; alvus segnis, faeces non tinctae sed albo cinereae apparent. Se- et excreta omnia odorem acidum spirant: persaepe ructus, vomitus, flatus, diarrhoea incidunt. Extremitates inferiores curvantur, variasque doformitates offerunt, fungi in cariem abeuntes nascuntur; pelvis ipsa vitio corripitur atque

deformatur; columna vertebralis in Scoliosin, Kyphosin, Lordosin vertitur, ex quibus maxima incommoda, ut paralyses etc. profluunt; ne costis quidem parcit morbus; sternum, scapulae, claviculae curvantur, earumque apophyses intumescunt. Abdominis viscera obstructa, infarcta et jecur saepissime permagnum, inveniuntur. Digestionis opus labat, non raro autem helminthiasis symptomata occurrunt, quibus saepe convulsiones, epilepsia etc. oriuntur. Gressus infantum plane aboletur, alii voce carent, alii stupent, plerique autem alacres, ingeniosi, sagaces sunt. Febris hectica additur et per colliquationes solidorum fluidorumque totius corporis miserae vitae finem imponit. Cadavera aliquamdiu calida ac mollia, membra flexibilia remanent.

Expositis singularibus uniuscujusque speciei symptomatibus, sine difficultate varias species inter se diagnosci posse existimo.

Mora Paedatrophiae varia est, plerumque aut per aliquot annos, conditionibus faustis, regimine nempe et diaeta congrua, curatione apta infantes paulatim restaurantur, si nempe morbus inter initia subsistit, diathesis morbosa omnis abest, injuriaeque arceantur; quandoque haud prius, quam sub annum aetatis quintum aut septimum sanitas contingit (Hecker). Conditionibus autem iniquis Paedatrophia jam aliquot post menses, praesertim si infantibus tenerrimis Scrophulo-

sis aut Rhachitis insidet, per inanitionem virium aut per colliquationem exitialis evadere potest. Restitutionem in integrum Paedatrophia scrophulosa aut rhachitica raro largitur, etiamsi enim Scropulosis et Rhachitidis levior gradus non insanabilis est, verumtamen curationi earum corpore debili, male nutrito, atrophico magna impedimenta objiciuntur. Quum Paedatrophia scrophulosa et rhachitica summum horum morborum gradum testentur, facile est intellectu, mortem longe creberrimum esse exitum.

Aetiologia.

Sententiae de Paedatrophiae causa proxima sunt: *Jahn, Haase, Conradi, Raimann:* Paedatrophiam semper symptoma Scrophulosis esse tradunt.

Richter huncce morbum infantibus sine diathesi scrophulosa supervenire, et hoc in morbo saepe atoniam vegetationemque vitiosam systematis lymphatici, visceribus abdominalibus limitatam reperiri, alia tamen Scrophulosis criteria abesse, contendit.

Henke in diathesi scropulosa saepissime causam proximam collocandam censet, verumtamen Atrophiam quoque ex injuriis externis, sine vitio scropuloso nasci affirmat.

Girtanner persuasum habet, huncce morbum,

nisi forsan Scrophulosis varietatem exhibeat, ei tamen esse simillimum.

Hecker: Atrophiam infantum a nutritione prava, debilitate systematis lymphatici et a tumescentia et induratione glandularum mesentericarum deducit, saepissimeque cum Scrophulosi ac Rhachitide conjungi dicit, quibuscum multum similitudinis, habere putat.

Sachtleben: causam proximam in digestione vitiosa, perinde ac chylificatione et assimilatione impedita nutrimentorum collocat, quae saepissime dyscrasiae scrophulosae innitatur.

De causa proxima Paedatrophiae simplicis opinionibus scriptorum enumeratis meam interponendi, venia detur.

Equidem in morbi principio semper irritationem, vel subinflammationem tunicae mucosae tubi intestinalis vasorumque lactiferorum adesse censeo. Sat compertum habemus, teneros infantes longe facilius morbis affici, causas levissimas inflammationibus, exsudationibus, quas in hydrocephalo acuto, in tineâ capitis et faciei rel. creberrime observamus, ansam praebere; quae quum ita sint, quidni nutrimenta, vel qualitate vel quantitate peccantia, tubum intestinalem vasaque lactifera in irritationem vel subinflammationem conjiciant? Nutrimenta dyspeptica, oligochyla, farinosa, siliquosa, pinguia, acria, dulcia, rancida, panis cibarius acidulus, vegetabilia multa, paucae aut

per-

permultae carnes, quibus ditiorum infantes persaepe nutriuntur, utplurimum corpora peregrina evadunt, quoniam, ut subigantur, assimilentur, ac in chylum sincerum mutentur, organa digestionis plus justo sollicitant atque irritant, quamobrem sanguinis congestiones diuturnae ad haecce viscera, secretiones copiosiores aut parciores (nam et congestiones saepe secretiones prohibent) efficiuntur, quarum etiam indoles a norma aberrare incipit. Hisce congestionibus et secretionibus perversis denuo irritantur viscera et, quemadmodum alia organa post diuturnas congestiones phlogosin experiuntur, ita et haec in irritationem subinflammationemque detruduntur, quae, ut multae viscerum abdominalium inflammationes occultae, saepissime ignorantur.

Infantes multo saepius inflammationibus ventris organorum corripiuntur, quam vulgo credunt idque vitium haud raro febris dentitionis, morbus verminosus, colica, febris gastrica, mucosa, immo febris nervosa perperam nominatur; Ill. Pertss. Heimius (conf. Henke) e quatuor, ait, infantibus, qui recensitis morbis laborare tradantur, certe tres posse numerari, quibus inflammatoria tabes insideat.

Praeterea hunc statum manifestare videtur sitis adaucta, vomitus, ructus, alvi obstructio, aut fluxus, faeces varii coloris et foedi odoris, cutis sicca, pulsus frequens, mollis, debilis, qui peculia-

ris esse solet inflammationibus organorum abdominis, dolor abdominis pressu augescens, ipsiusque ventris intumescentia etc.

Tumor glandularum lymphaticarum quae dicuntur hujus vitii inflammatorii effectus esse videtur, multumque similitudinis habet cum vitiis conformationis, quae post inflammationes interdum gignuntur; exsudatio oritur; tela cellularis, vasa lympathica eorumque glomerulos ambiens, crassescit, durescit; humores, in ejus interstitia effusi, solidescunt, et facili negotio tumores oriri possunt. Minus quidem transitus chyli impeditur, quam systema lymphaticum abdominale prohibetur, quominus functionibus suis rite prospiciat, quae, quamquam non satis cognitae, ad emendandum tamen chylum spectare videntur; chylus vitiosus sanguini additus, nutritionem pervertat et maciem gignat, necesse est, quoniam instauratio consumptioni impar est, quum insuper nutrimenta prava parum chyli praebeant. Organa quoque omnia digestionis labefactantur, secretio bilis, succi pancreatici, gastrici et enterici abnormis est, chylus jam vitiatur priusquam ad vasa lymphatica pervenit; nec non symptomata acescentiae debilitatem organorum digestionis ac pravitatem humorum digestivorum testantur, quippe qui bene elaborari nequeunt, gasis etiam, in tractu intestinali evoluti, major copia infirmitatem organorum digestionis indicat. Debilitas organorum digestionis

ex praegressa nimia irritatione subnascitur, quam organa ista, adhuc tenerrima, non sine damno sustinere potuerunt, ideoque relaxari coeperunt.

Materia caseosa, cretacea, quam glomeruli systematis lymphathici in Atrophia serophulosa offerunt, in Paedatrophia simplice haud observatur.

Inflammationes chronicae, aut potius affectiones subinflammatoriae saepius in indurationem aut exsudationem, quam in exulcerationem transeunt, si vero inflammatio magis acuta exstat, non raro hic etiam exitus evenire potest, cui Phthisis mesenterica innititur.

Plerumque autem Paedatrophia a Scrophulosi glandularum meseraicarum pendet. Scrophulosis est morbus systematis lymphatici, non semper vero totum systema obsidens, si magis vasa lymphatica externa, ut glandulae cervicales, axillares etc. afficiuntur, Scrophulosis externa; sin magis interna, ut glandulae lymphaticae tracheae, pulmonum, mesenterii, Scrophulosis interna Scrophulosis mesenterii, affectio scrophulosa meseraica, nominatur; si Scrophulosis externa profligatur, interna saepissime exoritur, pariter ac interna mitescit, si externa evolvitur. Paedatrophia scrophulosa semper innititur diathesi scrophulosae, quae aut hereditaria aut connata aut acquisita esse potest.

Causa proxima Scrophulosis nondum inno-

tuit, variae circa eam sententiae exstant, quas breviter referam.

Hufeland causam proximam in magna atonia et debilitate systematis lymphatici collocat, cui irritabilitas morbose adaucta et specifica adjungatur, indeque acrimonia specifica lymphae oriatur.

Girtanner causam proximam in sensibilitate adaucta systematis lymphatici ponit, qua fiat, ut incitamenta, sanum corpus haud offendentia, inflammationem concitent.

Richter et *Henke* in vegetatione vitiosa systematis lymphatici et glandularis causam proximam esse dicunt, effectumque functionum deturbatarum systematis lymphatici miasma scrophulosum seu acrimoniam scrophulosam veterum, esse perhibent.

Testibus *Jahn*, *Haase*, *Raimann*, *Hecker*, *Conradi* debilitas totius corporis, praesertim systematis lymphatici, qua circulatio lymphae retardetur et stagnationes, nec non accumulationes ejus gignantur, hinc lymphae mutationes chemicae suboriantur, partimque fluidae ejus substantiae evanescant, partim oxydatio major, quae forsitan effectus praevalentis acidi organorum digestionis sit gignatur, lympha nimiam visciditatem et cohaerentiam conquirat materiamque caseosam formet, quae in glandulis scrophulosis post funerum incisiones reperitur, tandemque serius ocyus, labefacta

nutritione, labes atrophica nascatur, pro causa proxima est habenda.

Quemadmodum metamorphosis abnormis fabricae pulmonum causam proximam Phthiseos pulmonalis tuberculosae continet, ita et causam proximam Scrophulosis in degeneratione peculiari glomerulorum systematis lymphatici ponendam existimo; etenim in tela cellulari, quae illos circumdat, pseudoproductiones, pseudoplasmata animadvertuntur, materiam caseosam, cretaceam continentia, quae, vitio subinflammatorio exorto, secretionem puris praestant, qui processus tam partem induratam solvit, quam degenerationem propagat. Attamen processus decompositionis in Scrophulosi negari nequit, cujus quidem natura nondum explicata est, proxime tamen in defectu substantiae fibrosae lymphae, oxygeniique animalisati consistere videtur; est scilicet processus hydrogenisationis progressivus, elementum hydrogenicum in lympha praevalet; indoles hereditaria Scrophulosis commonstrare videtur, elementum quoddam praedominari oportere, quod per coitum communicetur; est affectio systematis lymphatici et nervorum, qui ei praesunt, processus quasi formativus retrogradus. Systema lymphaticum a primo Scrophulosis initio pravitate peculiari impraegnatum videtur, nam sola torpiditate vasorum lymphaticorum, qua omnino circulatio lymphae retardari debet, aut irritabilitate adaucta specifica, nequaquam illa dege-

neratio glandularum lymphaticarum peculiaris oriri potest. Haecce corruptela non semper totum systema lymphaticum, ut jam diximus, obsidet; quodsi glandulae meseraicae illa desorganisatione, id est Scrophulosi, laborant, Paedatrophiam injuriis externis accedentibus prius evolvi oportet, quam illis deficientibus, quamvis quoque sine iis et regimine aptiori serius ocyus Atrophia nascatur.

Paedatrophia scrophulosa, quae habitu expromitur, constitutionalis nominari potest, quoniam totam amplectitur constitutionem.

Cadaverum sectiones magnam molem glandularum meseraicarum tumefactarum exhibent, quae durae sunt, tenaci membrana occductae, interdum laticem continent viscidum, saepe materiem caseosam cretaceam, quam quidem materiam quasi praecipitationem lymphae stagnantis esse, ut nonnulli perhibent, vix arbitror; etiamsi enim circuitus lymphae retardetur, nequaquam adeo mechanicae obstructiones lymphae et praecipitationes probari possunt; nec unquam glandulae penitus obstructae sunt, siquidem materiae injectae illas permeant; interdum quoque glandulae exulceratae inveniuntur, quo in casu Phthisis mesenterica exstat.

Variae hypotheses de Rhachitidis causa proxima promulgatae sunt, quarum praestantissimas referre liceat.

Truka de Krzowitz [1]) in relaxatione praeternaturali partium solidarum et in acrimonia partium fluidarum causam intimam ponit.

A. Bootius [2]) in hepate solo causam proximam quaerendam censet.

I. P. Buchner [3]) in debilitate nimia partium solidarum causam proximam collocat.

G. Harris [4]) obstructionem organorum abdominis causam proximam continere dicit.

H. Boerhaave [5]) causam intimam tam in partibus solidis quam fluidis collocat.

Nils Rosen a Rosenstein debilitati et acrimoniae humorum causam proximam inniti putat.

Ad. Henke vitium universae reproductionis cum actione perversa systematis lymphatici tam Rhachitidi quam Scrophulosi subesse tradit, proprietates autem Rhachitidis in nutritione et formatione deturbata ossium positas esse, ita ut causam proximam ponat, in impedita calcariae phosphoratae depositione ad ossa, aut in nimia resorptione et depositione ejus ad urinam.

Hecker causam proximam ponit in nutritione et formatione ossium anomala, deficientibus elementis eorum solidis.

---

1) *Geschichte der englischen Krankheit.*

2) observationes medicae de affectibus omissis.

3) disput. de Rhachitide.

4) de morbis acutis infantum.

5) aphorism de cognoscendis et curandis morbis.

E. I. G. Heine [1]) in irritabilitate adaucta vasorum lymphaticorum causam intimam collocat, qua fiat, ut resorptio nimis adaugeatur, ac plus absorbeatur quam secerni possit; ita in ossibus defectum partium solidarum oriri, eademque debilia, flexilia et mollia reddi, asserit.

Richter causam proximam Rhachitidis aeque ac Scrophulosis in atonia et vegetatione vitiosa systematis lymphatici ponendam esse judicat, quae in Rhachitide praesertim ossa offendat et nutritionem vitiosam imperfectamque conformationem eorum reddat; primitivus vero morbus est partium solidarum, vitium humorum modo effectus est non causa, acrimonia peculiaris rhachitica non datur.

Alii in causa proxima Rhachitidis indaganda magis systema nervosum respiciunt, illamque vel ab obstructione medullae spinalis aut ab indole morbosa succi nervei derivant.

Quaecunque demum causa proxima Rhachitidis sit, tamen intelligitur, haud raro cum Rhachitide conjungi Atrophiam, perinde ac in Paedatrophia simplici, in qua nutritionis et reproductionis vitia, Haasio teste, systema ossium novissime adoriuntur.

Cadaveribus incisis, haec apparent: cystis fel-

---

[1]) Dissert. de vasorum absorbentium ad Rhachitidem procreandam potentia. Goettg. 1798.

lea expansa, bilis verae loco aqua insipida, turbida, aut aëre impleta; musculi axungiae similes, ossa malacea, curvata, circa superficiem inaequalia, nodosa, cortice calcareo interdum obducta, pervia, haud raro liquore tenui impraegnata, multum pulpae liquidae continentia, fragilia, subalba, dissectu facilia; intumescentia omnium glandularum lymphaticarum, vasa lymphatica dilatata, interdum concrementis calcareis impleta.

Causae praedisponentes.

Causa praedisponens Paedatrophiae simplicis consistere videtur in adaucta tubi intestinalis sensibilitate et in habitu tenero organorum assimilationis infantum, quibus fit ut leviores stimuli nimium irritent; dispositio autem Paedatrophiae scrophulosae aut rhachiticae praecipue innititur seminio hereditario, constitutioni laxae, atonicae, torpidae, morbis cachecticis aut debilitati parentum, aetati provectiori parentum, partui praematuro animi pathematibus matris gravidae, diaetae incongruae, dyspepticae, oligochylae matris, climatis aliquam esse efficaciam, nullam recipit dubitationem.

Causae occasionales.

Causae occasionales Paedatrophiae simplicis momentis omnibus suppeditantur, quae statum subinflammatorium organorum digestionis, praeci-

pue vasorum lymphaticorum, producunt, prae ceteris cruditates et refrigeria; verumtamen! paene omnia momenta quae occasionem praebent, Scrophulosi, Paedatrophiam simplicem producere possunt. Itaque causas occasionales Paedatrophiae scrophulosae et rhachiticae, enumerabo: nutrimenta prava, dyspeptica, oligochyla, e quibus parum chyli praeparari potest. Lac, primum infantis nutrimentum, et qualitate et quantitate vitiatum, vel nimis tenue et invalidum, aut paucum, aut nimis spissum, nutrices jam dudum lactantes, aut aetate provectiores, debiles, aegrotae, aut nimis juveniles, surrogata lactis materni, pro pabulo data, ut lac vaccarum nimis pingue. Nutrimenta pinguia, farinosa, quae collam continent, caseosa, abusus fructuum solani tuberosi, panis cibarius, praesertim recens, legumina, victus mere vegetabilis, nihil aut nimium carnis, potus aquosior, cerevisia alba tenuis, infusum theae, fabarum coffeae, spirituosa omnia. Immundities, permutatio neglecta linteorum praesertim madidorum aut squalidorum, neglecta cutis cura; aer humidus, humido frigidus, praesertim principiis nocivis inquinatus; idcirco hi morbi haud raro opprimunt infantes lanificorum, textorum, opificum, orphanotropheorum alumnos, urbium ac domiciliorum subterraneorum incolas. Multis in regionibus Scrophulosis et Rhachitis endemicae grassantur, ut in humidis, humido frigidis, ubi multae nebulae do-

minantur, in Britannia, Batavia; nec non in regionibus montanis, in Helvetia, Sabaudia et Salisburgi.

Multi infantum morbi, praesertim qui debilitatem gignunt, diathesin scrophulosam celerius excolere, imo causas disponentes diathesi scrophulosae subgerere possunt; ut exanthemata varia, tussis convulsiva, febris intermittens, gastrica. Sicuti vermes persaepe symptoma Paedatrophiae exhibent ita etiam causam occasionalem ejus subministrare queunt, quatenus nempe nutritionem et reproductionem haud leviter perturbant.

Cum non solum homines sed bruta quoque nonnulla Scrophulosi laborent, ut galli indici, oves, sues et equi, argumentum nobis suppetit, quod probat, virus proprium Scrophulosi non subesse; et si quando omnes infantes ejusdem familiae Scrophulosi subiguntur, aut diathesis hereditaria, aut communes causae occasionales praecesserunt.

P r o g n o s i s.

Quod ad prognosin pertinet, praedispositio prae ceteris respicienda est; quemadmodum enim omnibus in morbis, quibus praedispositio hereditaria subest, prognosis pejor redditur, ita Paedatrophia. In Paedatrophia igitur simplice prognosis laetior affulget, quam in scrophulosa aut rhachitica; praeterea gradus, constitutionis, conditio-

numque externarum ratio habenda est. Quodsi tempestive in stadio subinflammatorio morbus dignoscitur, spes magna arridet, praesertim si infans minus debilis est, si causae occasionales removeri possunt, quod quidem interdum propter parentum egestatem non sine aliqua difficultate perfici potest. Sin vero glandulae meseraicae jam tumuerunt, febris lenta accessit conditionesque externae sunt infaustae, periculum quidem imminet, attamen interdum praeter opinionem sanatio vegetatione organismi infantilis alacriori remediorum sine praesidio contingit, ita ut aetate provehantur et in novas evolutionis periodos transeant (Richter). Si habitus melior, facies vegetior evadit, propensio ad exercitationes, appetitus ciborum naturalis, excretio alvi normalis est, praesagium laetum habeatur, siquidem regimen et diaeta consentanea prosperum largiuntur exitum. Sin abdomen nimis expansum, glandulae meseraicae valde tumidae, macies summa adest, rarissime salus recuperatur. Ubi febris hectica, symptomata colliquationis, praesertim diarrhoea cum sudoribus colliquativis, inciderunt, pulsus plenior, subdurus apparet, spes nulla; etiamsi enim morbus superatur, haud raro tamen corpus per totam vitam debile et incrementi inops est (Richter).

In Paedatrophia scrophulosa prognosis multo pejor est, Scrophulosis mera quidem non est letifera, nam deficiente diathesi hereditaria, saepius,

si aetatem infantilem excessit, pubertatis tempore evanescit, sin pubertatem transgreditur, insanabilis est. Multo pejor Scrophulosis interna, quam externa est; Scrophulosis meseraica, quae Paedatrophiam inducit, pessima, rarissime inter ipsa initia sanitas obtinetur; quodsi glandulae meseraicae jam perdurae sunt, spes minima, macies magis magisque crescit, symptomata colliquationis oriuntur et mors per febrem hecticam inducitur.

Rhachitis quoque sola haud exitialis est, Paedatrophia autem rhachitica summo Rhachitidis gradu nititur et spem exiguam pollicetur; si porro cum Paedatrophia simplici Rhachitis complicatur, ob nutritionem et reproductionem omnium systematum labefactam nullam speres salutem. Etiamsi haec Atrophia sanatur, variae tamen curvaturae artuum, pelvis, columnae vertebralis, thoracis vix removentur. Ex his aetate adultiori multivaria incommoda, ut dyspnoea, asthma, tussis, haemoptoe, phthisis, hydrothorax, partus difficilis, paralyses extremitatum, vesicae urinariae etc. nascuntur.

Therapia.

Paedatrophia simplex has medendi indicationes offert:

I. Causae occasionales removeantur.

II. Subinflammatio tubi intestinalis glandularumque lymphaticarum tollatur.

III. Labes secundaria glandularum lymphaticarum, quae earum intumescentia cernitur, solvatur.

IV. Totus organismus reficiatur.

Quod ad indicationem primam pertinet, dispiciendum est, ne moles nutrimentorum nimia sit, sed viribus organorum digestionis, assimilationis et consumptioni adaptetur. Matres ad lactationem propter debilitatem aut quascunque causas non idoneae nutricibus tradant infantes; nutrices neque nimis tenerae neque grandaevae sint. Lac neque nimis tenue et serosum, neque nimis spissum praebeatur, copia lactis sat eupeptici, aetati infantis congruat, regimen et victus nutricum idoneus sit, lactatio non nimium protrahatur, cubiculum infantum sit mundum et capax, vestimentorum et corporis mundities administretur, infans saepius aëri puro offeratur. Absoluta lactatione nutrimenta mitia, blanda, parum irritantia, ex animalibus et vegetabilibus mixta porrigantur; farinosa, panis, abusus sacchari, fructus solani tuberosi, legumina vitentur; potibus fermentatis non utendum, infantes neque calidiori neque frigidiori vestitu induantur.

Indicatio secunda; quodsi vel hac vel illa ex causa subinflammatio tubi intestinalis glandularumque lymphaticarum nata est, antiphlogistica, temperantia, refrigerantia sunt adhibenda, sed ratione exitus habita, methodo ista moderatius utendum;

si febrilis irritatio adest, liquor digestivus Boerh., Kali citratum; si dolores vehementiores sunt, interdum hirudines aliquot circa abdomen, inunctiones ex oleo Hyosciami, linimento volatili, intus Hydrargyr. muriat. mite refractis dosibus, emulsiones; si alvus adstricta, laxantia mitiora, clysmata e sapone, electuarium lenitivum, oleosa; si diarrhoea urget, Ammonium muriaticum, balnea tepida ad cutis energiam fovendam; si vomitus divexat, potio Riveri, Hulmii conveniunt.

Indic. tertia; si status subinflammatorius non discussus est, sed in eam labem glandularum meseraicarum transiit, quam descripsi, nempe intumescentiam, indurationemque, methodus resolvens methodo roboranti ad digestionem corrigendam, humoresque digestivos efficaciores reddendos et chylum emendandum, praemittatur necesse est. Diaeta prae ceteris aetati aptetur neque irritet. Si abdomen jam tumuit, alvi excretio anomala, mucosa, subviridis, symptomataque acidi praevalentis observantur, lac vaccarum cum aqua Foeniculi, Kali aceticum, citratum, purgans ex tinctura Rhei aquosa; si torpor magnus, plerumque vermes subsunt, quo in casu etiam purgans ex Hydrarg. muriat. miti cum pulvere rad. Jalappae, tinctura Rhei vinosa, ut resolvens blandum et roborans, porro resolventia alia, ut extract. Taraxaci, Cochleariae, Graminis, glandes tostae cum infuso fabarum Coffeae. Persaepe acido obnitendum, quod

e debilitate organorum digestionis oritur, novamque causam morbi praestat; methodo roborante quidem causa acescentiae tollitur, attamen persaepe symptomatica auxilia requiruntur, ut Magnesia carbonica, usta, Kali carbonicum aqua miti solutum, fel tauri, quod commendatur recens sit necesse est.

In Paedatrophia simplici remedia fortiora contra hoc symptoma non adhibenda, ut tinct. Kali caustici, Ammonium cum Alkohole. Fortiora resolventia, ut metallica et çetera, quae vocantur, antiscrophulosa, in Paedatrophia simplici necessaria non sunt.

Totus organismus roborandus est; non prius autem roborantia dentur, quam omnes cruditates remotae sint; praemissis jam balneis resolventibus e sapone, balnea incitantia ex herba Melissae, Menthae, Sambuci, Chamom. et postremo balnea cum globulis martialibus adhibeantur; balnea quoque nutrientia e jusculis carnium, e malto cum hrb. Origani et rad. Calami. Sensim sensimque corpus assuefaciendum est remediis martialibus, praemissis remediis tonicis, ut extr. amaris, Gent., Trifol., Millef., Absinth., infus. Quassiae, dec. Lichen. island. etc., elixirio aurantior. composito, cort. peruviano, tinct. ferri aperitiva; tinct. ferri resolvens simul resolvit ac roborat; tinct. ferri acetico-aetherea, liquor anodynus mineralis martialis, et aquae martiales commendantur, ut Spaanae et Pyrmontanae, matutino tempore cum lacte recen-

ti

ti bibendae; contra febrem hecticam acida tam vegetabilia quam mineralia, aqua Selterana et Emesana prosunt; regimen et diaeta semper respiciantur, nutrimenta eupeptica, nutrientia, blanda ingerantur; corpus sub dio exerceatur.

Medela Paedatrophiae scrophulosae ad easdem indicationes conformatur.

Remedia, quae dicunt, antiscrophulosa nunquam Scrophulosin penitus evertunt, curatio perfecta modo vegetatione instaurata contingit, quae semper fovenda est. Antiscrophulosa sunt incitantia specifica systematis lymphatici, et eatenus contra vitium peculiare scrophulosum agunt, quatenus facultatem reagendi systematis lympathici adaugent, et forsan alterant. Haud prius, quam curationi universali Atrophiae satisfecerimus, remediis antiscrophulosis utamur; Scrophulosis quidem morbum primarium et Atrophia symptomaticum sistit, et raro morbus symptomaticus ab initio impugnatur, quoniam autem nunquam solis medicamentis Scrophulosis sanatur sed actiones vitales evehendae sunt, antiscrophulosa majorem conquirunt efficaciam, si, ut ita dicam, corpus antea praeparatum est. Quum Paedatrophia scrophulosa labi scrophulosae glandularum meseraicarum innitatur, moliendum est, ut hocce vitium a partibus internis illius systematis ad partes externas transferatur, quod si factum est, ne cursus ejus turbetur, caveamus oportet. Hoc scopo cu-

tem adgredimur, frictionibus totius corporis, praesertim abdominis, ope laneorum panniculorum aromaticis vaporibus impragnatorum: balneis tepidis, emplastris vesicatoriis, cortice Mezerei, prohibitoque aëre frigido et humido. Scrophulosis nonnunquam, praesertim ab initio, sine ullis remediis specificis, solo regimine et victu idoneo fugatur. Abusus antiscrophulosorum morbum auget, nimis irritando vasa lymphatica, quo fit, ut eorum debilitas organorumque digestionis inanitio magis magisque crescat, morbusque alatur. Hinc antiscrophulosa non continuo porrigenda, non semper unum idemque sed varia remedia et saepe roborantia interponenda sunt. Si cruditates adsunt, prius removeantur, sursum turgescentes emeticis blandis, deorsum turgescentes purgantibus, uti Hydrarg. muriat. mit. cum pulv. rad. Jalapp., Rheo, inf. folior. Sennae etc. Acido praevalente saepius quoque symptomatica cura, ut in Paedatrophia simplici iisdem remediis instituenda est, fortiora autem interdum requiruntur ut tinct. Kali caust. doses minimae, mucilagineis involutae, malo pertinaciori Ammon. cum Alkohole. Si febris adest et actiones systematis sanguiferi praevalent, mitigentur Kali acetico cum pauxillo vini stibiati, tartaro emetico, anteaquam roborantia dentur. Si torpor, vel atonia urget, terra ponderosa salita, calcarea muriatica, tonicis excepta, ut extr. Taraxaci, Trifolii fibr., Gent., Quass., Chinae etc.; tum

etiam antimonialia et mercurialia, hrb. Jaceae, Quajacum, Jodina, nec minus folia Cicutae, extr. Aconiti, Digit. purp., Belladonna et Dulcamara pariter ac Calendula, verumtamen narcotica in hoc casu demum adhibenda sunt, si systema sensibile valde praevaleat; sensibilitate mitigata, rursus extracta amara, tonica ut Lichen island., Quassia, Calamus, Absinthium, Columbo, China, sub finem martialia respondent.

Extrinsecus praeter frictiones, inunctiones oleorum aethereorum ut ol. Juniperi, Tereb. etc, unguenti Hydrargyri cinerei, balnea tepida, fomentationes e floribus Chamom., herba Melissae, Menth. piperitae, Roris marini, Rutae, Calami radice, stipit. Dulcamarae, hrb. Hyosc. et Conii mac., balnea e malto, sapone, Kali carbonico, hepate sulphuris, balnea Aquisgranensia, Warmbrunnensia, Teplitzensia etc., balnea aromatica e rad. Calami arom., Caryophyllatae, cortice Ulmi campestris, salicis etc; balnea martialia naturalia ut Emesana, Spaana, Driburgensia, Pyrmontana etc., artificialia e globulis martialibus.

Medela Paedatrophiae rhachiticae paene eadem quam scrophulosae est.

Remedia, quae actionem organorum digestionis adaugent et reproductioni favent, sunt efficacissima, ut remedia amara, aromatica et martialia. Radici Rubiae tinctorum, Lapathi aquatici, Calami aromatici, Caryophyllatae vires specificae

tribuuntur, quae nondum satis probatae sunt. Experientia docet, remedia martialia multum prodesse contra Rhachitidem; acido phosphorico quoque vires specificae adversus Rhachitidem desunt, verumtamen in stadio ultimo colliquativo aliquantum utilitatis praestat contra sudores profusos. Diaeta et regimen hic quoque praecipue respicienda sunt, mundities magna, aër siccus, motus corporis idoneus et nutrimenta eupeptica, bene nutrientia maximo ex usu sunt.

VITAE CURRICULUM
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS UNIVERSITATIS BEROLINENSIS
A D J E C T U M.

Ego, Gerhardus Scheuten, Crefeldiae, urbe borussico-rhenana, die VI. Octobris A. MDCCXCIX patre Adam Scheuten, mercatore, matre Carolina, e gente Bungiana, per Deum O. M. hucusque servatis, natus, literarum elementa in scholis inferioribus hausi; postea vero privatis praeceptoribus in colenda lingua latina et graeca, nec non in iis colendis, quae ad eruditionem sublimiorem pertinent, gavisus sum. Aetate adultiori ad finem A. MDCCCXVII mense Octobri me Tremoniam, comitatus Marcani oppidum contuli, ibique per duos et dimidium annum archigymnasium, auspiciis viri eruditissimi mihique carissimi Prof. Kuithan vigens, frequentavi; examine abiturientium ibi rite absoluto A. MDCCCXX verno tempore universi-

tatem literarum Bonnensem petii, ubi Rectore Magnifico Augusti d. XVII. M. April. civium academicorum numero adscriptus arti medicae operam navavi. Per tres annos Bonnae praelectionibus doctissimorum praestantissimorumque virorum interfui: Cel. Kastner de Physice, Chemia experimentali, Meteorologia, nec non de encyclopaedia doctrinarum de rerum natura; Cel. C. G. Nees ab Esenbeck de Botanice; Cel. F. Nees ab Esenbeck de Botanice pharmaceutica; Cel. Goldfuss de Zoologia et Mineralogia; Cel. a Calker de Logice, Philosphiae propaedeutice, Psychologia et Aesthetice; Cel. Windischmann de historia medica; Cel. Weber de Osteologia, Syndesmologia, Neurologia, Splanchnologia, Anatomia comparativa; Cel. Mayer de Anatomia universali, speciali, pathologica, et de Physiologia, qui etiam cadaveribus dissecandis me instituit; Cel. G. Bischoff de Chemia experimentali, Phyto- et Zoo- Chemia. In encyclopaedia et methodologia artis medicae, Pathologia generali, Materia medica, Therapia speciali tam morborum acutorum quam chronicorum nec non syphiliticorum Ill. mihique benevolentissimus Harless; in arte obstetricia tam theoretica quam practica Cel. Stein; in Chirurgia, Ophthalmologia, in doctrina de instrumentis et operationibus chirurgicis pertractandis, faciisque imponendis Generos. a Walther; in Therapia generali Cel. Nasse mihi praeceptores fuerunt. Nec non insti-

tutis clinicis, chirurgico, ophthalmiatrico et medico, auspiciis horum Ill. Prof. florentibus, auscultando usus sum.

Mense Aprili A. MDCCCXXIII. Berolinum concessi ibique a Generos. de Raumer, Rectore Magnifico, d. XXII M. April. in album universitatis receptus sum: in Chirurgia generali ac speciali Ill. Rust, in cursu omnium operationum chirurgicarum idem vir Ill. et Cel. Kluge; in morbis tabificis et in explicandis Hippocratis aphorismis Ill. Berends; in Anatomia organorum sensuum Ill. Rudolphi in Pharmacia Cel. Turte; Exercitationibus in phantomate, quod dicunt Generos. a Siebold praeceptores mihi contigerunt. Auspiciis Ill. Berends, Graefe, Rust et Generos. a Siebold praxin medicam, chirurgicam ac obstetriciam exercere, mihi licuit.

Iam vero tentamine examineque rigoroso coram gratiosa facultate medica rite absolutis, spero, fore, ut dissertatione thesibusque, ut fas est, defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

Veri cordis polypi non dantur.

Neuralgiis semper neuriminis inflammatio subest.

Aneurysma herniosum non exstat.

Neque Sphacelus neque Trismus amputationem flagitent.

Solis symptomatibus morbi cordis veri a symptomaticis distingui non possunt.